Vir Nobilissime atque Doctissime,
Fautor Aestumatissime.

Unam hoc tempore non potui scribere quin etiam ad te scriberem: sed ob collegae mei & coniugis meae morbum in eas sum coniectus angustias, ut festinationis veniam, si unquam, necesse habeam petere. Venerandum Antistitem vestrum ego non ausus essem solicitare amplius: Tu vero optime scire potes, quid apud Illum tibi pro amico sumere liceat. Itaque utrique vestrum gratias ago: neque tamen, quomodo facultate mihi liberalissime data uti queam, reperio. Nullus est enim versiculus, de quo non aut quaeri aliquid aut doceri possit: & suarum sibi quisque observationum singularium novarumque optime

confixus est. Notarū, quas H. Stephano allevit, eadem est ratio, quæ duorū librorū, quos pridem misisti; quippe quarum fructum adhuc non possum capere, per alias laboris ampli partes. Sed et ipsa H. Stephani Editio mihi opportune advenit: quanquam recentiorem habeo illius officinæ. Ad Cel. Cortium scripsi. Cl. Breitingero quod causam meam, etiam aliunde commendatam, commendasti, habeo gratiam: lætabor, si mutua tibi officia pro singulari tua erga me voluntate potuero præstare, vel certe in omni re bona et præclara Te florere cognoro. Vale et fave

Nobiliss. Amplit. tuæ

Cultori ingenuo,

M. Joh. Alb. Bengelio.

Denkendorfi
d. 2 Dec. 1728.

Ven. Antistiti obsequia mea deferas rogo.

Nobilissime atque Doctissime,
Fautor Aestumatissime.

Vt nam hoc tempore [illegible] potui scribere, quam
etiam ad te scriberem; [illegible] collegae mei
& coniugis meae morte [illegible]
[illegible] ut festinatione [illegible]
habeam petere [illegible]
ego non aeque [illegible]
[illegible] vero optime scire potes [illegible] tibi
pro amico [illegible] licet. [illegible]
[illegible] neque tamen [illegible] facultate [illegible]
[illegible] Nilli, [illegible]
[illegible], de quo non [illegible] aliquid aut docere possit.
[illegible]

à Monsieur

Monsieur Schelhorn

Conrecteur et Bibliothecaire

tres renomé dans la Ville

Imperiale de Meminingen

par couvert à Ulm. à Meminingen

Vir Magnifice et Generosissime,

Mecænas suspiciende.

Quæ ante semestre scripsi de ms. Lat. Novi Test., ea nec repeto, ne molestus sim; nec muto, ne inconstans sim. Hoc ipso anno Amstelodami edita sunt Prolegomena Novi Test. Gr. ibidem edendi: quæ, quamvis erudita, hortantur me potius, quam deterrent, ut cœpta pertexam. Illius tractatûs scriptor se Francofurti aliquot dies commoratum, et Bibliotheca Tua, Vir Magnifice, usum fuisse, pagina 60 prædicat. Submisse igitur rogo, ut ejus scriptoris nomen, prænomen etiam, ætatem, patriam, si non molestum erit, mihi per schedulam, non epistolam, sine ulla temporis jactura significes. Recensio mea ex Censura et Consistorii Wirtemb. et Facultatis Theol. Tubing. ad me rediit: anno autem futuro, ut spero, excusa erit, et tum, quid tibi ea, quid subsidiis tuis debeat, et tibi et aliis ingenue declarabit. Te gravissimis immersum negotiis, non obtundam, animô recolere non desinam, secundissima apprecans omnia. Denckendorfii die VII Sept. A. MDCCXXX.

Generos. Magnif. T.

Cliens submissus,

M. Joh. Alb. Bengelius.

Dum lychnus accenditur ad hasce literas obsi-

grandas, Excerpta mihi redduntur ex codd. ms. Lat. Bibliothecæ Murensis (An dem Closter Muri) quæ insignibus quibusdam locis N. T. emendandis inserviunt; opinionemque meam confirmant, permultum adhuc frugis peti posse ex ms. Latinis.

Bengel.

Tit. A Monsieur
Monsieur ab Uffenbach
Bourguemaître dans la
Ville Imperiale de Francfurt
à
Francfurt sur le
Main